

SCRIPTA

Numéro Scripta : 7746

Auteur(s) : Gervais Binet [particulier]

Bénéficiaire(s) : Soligny-la-Trappe, Notre-Dame de La Trappe (abbaye)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1255, novembre

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

Gervais Binet s'engage à payer chaque année, à l'abbaye de la Trappe, une rente de huit sous tournois, en échange d'un pré reçu à charge de cens féodal.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Charencey Hyacinthe (Comte de), *Cartulaire de l'Abbaye de Notre-Dame de la Trappe*, publié d'après le manuscrit de la Bibliothèque Nationale, Alençon, Renaut de Broise (Société historique et archéologique de l'Orne), 1889, B. « De Eodem (= de redditibus denariorum in Corboneto et Francia) », n° LIV (« Carta Gervasii Binet »), p. 95-96.

Texte établi d'après a

Universis presentes litteras inspecturis, Gervasius Binet, salutem in Domino. Noverit universitas vestra quod, cum viri religiosi, abbas et conventus Domus Dei de Trappa, cisterciensis ordinis, michi et heredibus meis tradiderint in feudalem censum annum quamdam peciam prati quam habebant in feodo de Cuirées super calceiam Montis Isemberti, sitam inter prata canonicorum ecclesie Omnium Sanctorum de Mauritania hinc et inde, et abotantem ex una parte aque que Herina nuncupatur et ad pratum Guillelmi de Cuirées ex altera, quod ego et heredes mei exinde annuatim reddere tenebimur octo solidos turonensium annui redditus seu census ad festum Omnium Sanctorum vel infra octabas dicti festi dictis religiosis vel eorum successoribus, tali apposita conditione quod, si ego vel heredes mei in solutione dictorum denariorum cessaverimus per annum dictum pratum ex tunc ad dictos religiosos plenius et pacifice revertetur, sine contradictione vel reclamacione aliqua mei vel meorum heredum supra dicta pecia prati de cetero facienda. Dedi insuper et concessi dictis religiosis in complegium duos solidos turonensium annui census, annuatim percipiendos dictis religiosis et eorum successoribus, super prato meo quod teneo de feodo de Mesneria, sito juxta pratum Dyonisie dicte Hylarie, prope pratum dictorum canonicorum. Si contigerit quod ego vel heredes mei in solutione dictorum octo solidorum turonensium annui census per annum cessaverimus, quos duos solidos turonensium annui census ex tunc singulis annis percipient et habebunt dicti religiosi ad festum Omnium Sanctorum super prato meo antedicto, sine contradictione aliqua mei et heredum meorum super hoc de cetero ex tunc facienda, dicta pecia prati quam michi tradiderint ipsis religiosis et eorum successoribus nichilominus remanente. Sciendum est etiam quod ego vel heredes mei dictum pratum meum non poterimus aliquo modo alienare quin dicti religiosi et eorum successores super eodem dictos duos solidos turonensium annui census annuatim termino percipiant et habeant supradicto, ex quo cessaverimus a solutione dictorum octo solidorum turonensium annui census per annum. Et ad premissa omnia facienda et ad implenda et dictis religiosis et eorum successoribus garantizanda et defendenda et erga dominos capitales deservienda in omnibus et per omnia, me et heredes meos obligavi et obligo et volo et volui obligari. In cujus rei testimonium dedi dictis religiosis presentes litteras sigillo meo sigillatas. Et

ad majorem confirmationem, presentibus litteris sigillum meum una cum sigillo curie sagiensis apposui. Actum anno gracie M° CC° L° quinto, mense novembris.